

14.

12

P 2223

COMMENTATIO IVRIDICA
Q V A
DONATIONEM *1784, 1.*
REM VNERATORIAM

IN Q V R I T

NEC NON

LECTIONES ACADEMICAS
PER INSTANS SEMESTRE HABENDAS

I N D I C I T

IOHANNES GOTTFRIED
CRUMBIEGEL

IVRIVM DOCTOR.



ROSTOCHII
MENSE APRILI MDCCCLXXXIV.

LITTERIS ADLERIANIS,

COMMUNICATIO IURIDICA

64

DONATIONEM
REMANERATORIUM
INQUAESTIONE

nae non

LECTIOINES ACADEMICVS


PER INSTANTES SEMESTRE HUENEPENSIS

INDICAT

JOHANNES GOTTFRIED

CRAWBEIGEL

BARIAKUS



ROSTOGAIA

MENSE APRILI MDCCCLXVII

LITTERIS MFRIBIANIS



CONSPPECTVS.

Proemium §. 1.

I. Pars generalis

De donationis remuneratoriae speciebus, earumque notionibus ac natura,

1. Notiones tam donationis in genere, quam in specie donationum remuneratoriarum earumque divisio §. 2.

2. Fundamentum datae distinctionis §. 3.

3. Separatio necessaria et natura donationis remuneratoriae §. 4.

a) propriae §. 5.

b) impropriae stricte sic dictae §. 6.

c) impropriae ordinariae §. 7.

d) impropriae extraordinariae §. 8.

e) secundum quid propriae §. 9.

4. Observatio generalis. §. 10.


II. Pars specialis exhibens singulares de hac materia controversias gravissimas,

1. De insinuacione donationis ultra 500 solidos remuneratoriae. §. 11.

2. De donatione remuneratoria inter coniuges §. 12.

3. De praestatione evictionis in donatione remuneratoria, §. 13.

Conclusio. §. 14.



C O N S P E C T U S

¶ A. cunctis.

I. sicutus est
et quod non possunt
in eis esse nisi
in aliis.

II. Motus est
et non possunt
in aliis.

III. Non possunt
in aliis.

IV. Non possunt
in aliis.

V. Non possunt
in aliis.

VI. Non possunt
in aliis.

VII. Non possunt
in aliis.

VIII. Non possunt
in aliis.

IX. Non possunt
in aliis.

X. Non possunt
in aliis.

XI. Non possunt
in aliis.

XII. Non possunt
in aliis.

XIII. Non possunt
in aliis.

XIV. Non possunt
in aliis.

XV. Non possunt
in aliis.


XVI. Non possunt
in aliis.

XVII. Non possunt
in aliis.

XVIII. Non possunt
in aliis.


XIX. Non possunt
in aliis.

X. Non possunt
in aliis.



DE

DONATIONE REMVNERATORIA.



§. I.

Proemium.



Quum scribere meum, obiectum aptum putarem;
scripsi et quidem hanc materiam,

A 3

PARS

PARS GENERALIS.

De

donationis remuneratoriae speciebus earumque natura,

§. 2.

*Notiones tam donationis in genere quam in specie
donationum remuneratoriarum earumque
divisio.*

Quum in perscrutanda penitus perspicienda ac diiudicanda materia magnopere praeslare censeo, tam obiectum ipsum veramque eius naturam noscere, ut, de quo sermo sit, constet, quam eius species et subspecies compertas habent; valde ex re mihi videtur ab evolvenda definitione non solum generatim donationis sed speciatim quoque donationis remuneratoriae atque ab enucleandis earum partibus initium facere. Mihi vero DONATIO in genere *aditus liberalitatis*, quo alter rem in alterum ita transfert, ut hic eam sibi habeat, esse videtur. Is autem actus suscipi a donatore potest vel ita, ut ad aliquam praestationem contraria respiciat vel non respiciat. Hoc casu adest *donatio simplex* 1), ast illo *donatio* vocatur *qualificata*, in qua iterum praestatio contraria adhuc futura est vel non. Priori casu donatio qualificata nominatur *modalis*, posteriori autem distinguendum est, vtrum dicta praestatio sit praeterita vel praesens. Haec est *donatio reciproca*, in qua ergo vterque vtrique invicem ac simul aliquid vel auctu vel saltu promis-

sione

1) *Donatio simplex* etiam vocatur *vera et absoluta* e. g. I. 35. §. 2. ff. de mort. caus. don. „*Donatio vera et absoluta ita perficitur, ut qui donat illum portus quam se habere malit,*“ it. mera e. g. I. 27. ff. de „*donat. Papinianus dicit: defendi posse non meram esse donationem, verum officium Magistri quadam mercede remuneratum Regulum,*“ HELLEFELD in iurisprud. forensi Tit. de donat. §. 1706.

7

fione donat 2), illa vero *donatio est remuneratoria*, quae igitur
est *actus liberalitatis*, quo quis *rem in alterum praestationis sine
muneris antecedentis causa ita transfert*, ut hic *rem sibi habeat*.
Sed in remuneracionem aliquid donari potest vel ob *vnam tantum
praestationem antecedentem vel ob plures*. Si *vnum tantum antec-
cessit manus hoc ita qualificatum est*, vt eo ad aliquid reddendum
seu *praestandum obligatio orta sit vel perfecta 3) vel imperfecta
tantum et naturalis*. Hoc casu *donatio remuneratoria est voluntaria*

- 2) Assumit quidem SCHILTER in *exercitationibus ad Pandectas
exerc. 43. §. 3.* cum aliis: *donationem reciprocam speciem esse do-
nationis remuneratoriae, dum, „remuneratoria, inquit, donatio iterum dupli modo fieri potest, aut ab uno tantum ob beneficium aut
meritum donatarii, aut ab utroque simul et vicissim ac reciproce,
ob virtusque in alterum merita: illa retinet nomen commune, haec
reciproca appellatur.“* Sed, qvod pace huius Viri doctissimi dictum
sit, in his verbis idea non satis distincta latere mihi videtur, vel
saltim non bene mentem suam explicuit, confundendo id, quod
caute separandum est. Nam si haec donations ab utraque parte in-
tuita praecedentium bene meritorum sunt, re vera duas adfint do-
nations remuneratoriae, quae vero inter se connexae non sunt, nec
hanc ob rem reciprocas nominari queunt. Si vero post habito res-
pectu bene meritorum uterque eo tantum sine dat, vt rem alterius
in compensationem sive pro re sua accipiat, tunc vero adest donatio
reciproca, sed tunc etiam verba: *ob virtusque in alterum bene
merita, emitenda sunt*. Praeterea iubenter tam SCHILTERI quam
reliquorum DD, opinioni accedo, ex qua haec donatio re ipsa non
nisi vera permutatio sit. Cessat enim collatio rei alterius in alterum
gratuita, cessat collatio spontanea, dum uterque ad dandum cogitur,
si rem alterius sibi acquirere vult: atque quum etiam praefatio ante-
cedens cessat, et potius simultanea requiritur, aperte eluet, eam
non subspeciem sed potius vere conspeciem donationis remuneratoiae esse.
- 3) Minime hic in eorum descendit sententiam, qui aliquem ad donationem remuneratoriam, non promissam, ciuiliter obligatum esse posse,
assumunt, sicuti STRYCK in C. C. Selt. 3. e. 9. §. 3. BRUNNEN-
MANN ad I. I. D. de donat. STRUV. exercitat. ad ff. exerc. 40.
§. 17. Nulla enim donationis species invenitur, ad quam quis in-
virtus cogi possit. Sed defendo tantum, alterum alteri eo effectu
aliquid dare posse, vt hac donatione alia obligatio perfecta, qua
huc obstricetus fuit, solvatur. Quo facto igitur obligatio perfecta
rationem donationis remuneratoriae in se continet,

ria seu potius propria 4), ast illo *necessaria* seu melius *impropria* 5). In hac fieri potest vel vt donator tot in alterum transferat, quot ad delendam obligationem perfectam, ex antecedente munere ortam sufficit, et tunc *donatio remuneratoria impropria* apte striktæ sic *dilecta* appellatur, vel vt non aequalem remuneracionem praestet, quo casu aut minus aut plus dat, quam quod soluere perfecte obligatus est. *Hanc donationem remuneratoriam impropriam* vocare *ordinariam* et illam *extraordinariam*. Si vero plures præstationes antecedentes donatorem ad donationem commouent hæc sunt vel eiusdem generis i. e. tales, quibus obligationes eiusdem naturæ vel perfectæ vel imperfectæ oriuntur, vel generis diuersi. Si prius plures factæ præstationes simul sumtæ eandem habent naturam, eosdemque effectus, quibus gaudet *donatio remuneratoria* ob unam præstationem suscepit. Si vero posterius *donatio remuneratoria* est secundum quid *propria* aut si maius secundum quid *impropria*.

Tres primas donationis species simplicem scilicet, modalem et reciprocam non quidem silentio plane præterire potuimus, quum vero ad nostrum forum non pertinent, sed eo tantum sine prolatæ sunt, vt omnes donationis species hanc materiam ingredientes enimerentur; iis desistimus, ac eo diutius in perscrutandis reliquis donationis remuneratoriae speciebus commorabitur.

§. 3.

Fundamentum huius distinctionis.

Hucusque, quantum scio, *donatio remuneratoria* nondam in suas species et subspecies genuinas diligita est, sed tantum inter voluntariam et necessariam sicuti et inter remuneratoriam in specie et reciprocam distinxerunt DD. Partim vero spuriae ac logice fallæ hæc sunt distinctiones, partim ad tollendas singularum casuum obvenientium controuerbias non sufficiunt. Quum vero *donatio* in genere

4) HELLFELD in *iurisprud. forensi* Tit. de *donat.* §. 1706.

5) CARMON in *Diff. de remuneracionibus principum erga ministros* Cap. I. §. 12. SCHORPFER in *Synopsi iur. rom.* Lib. 39. Tit. 5. §. 2.

69

generis est actus liberalitatis: ex hoc sequitur, ut gratis exerceri debet, nec ad eam ullus cogi possit. In donatione remuneratoria ob differentiam specificam munus requiritur antecedens. (§. ante.) Quum ergo obligatio ex eo orta hac donatione extinguitur, totum negotium non gratuitum atqui non donatio esse, quia immo eius denominatio contradictionem inuoluere videntur. Haec obseruatione tam aliquid speciei quam veritatis praefert, et ut hanc ab illa segregemus natura praeflationis causam, huius donationis praebentis inquiratur oportet. Haec vero ita qualificata esse potest, ut alteri obligationem tantum naturalem vel ad animum gratum vel ad remunerationem imponat. Si itaque hac obligatione tantum naturali alter ad donationem conmouetur, extinguit quidem obligacionem sed talem tantum ad quam soluendam iure perfecto cogi non poterat. Assumamus: Caius Titium alicuius rei huic valde arduac certiorem reddit, cuius intuitu hic illi deinde 100 thaleros datur, sine dubio adest donatio remuneratoria, sed hec Titius non solum sua sponte dedit, sed certo respectu etiam gratis, quum nihil ab altero acceperit, quo perfecte ad reddendum obstrictus esset. Si ergo unquam donatio nomen remuneratoriae meretur, fine dubio est haec species, quae ob hanc rationem valide a caeteris segreganda est. Ita quoque res se habet, si plures praeflationes huiusmodi naturae antecelerunt. Qualitas antecedentis praeflationis vero saepe longe alia est, qua totius negotii natura insigniter mutatur. Factum enim esse potest, ut alter alteri aliquid praefliterit, ex quo obligatio perfecta orta sit, qua obligatus non via ordinaria solutionis sed donatione se liberare vult. Hoc casu iterum quidem adest donatio remuneratoria, sed mea opinione valde ab illa discrepat, nec, quum neutiquam gratis sed eo sine exerceatur, ut obligatio perfecta deleatur, nomine donationis remuneratoriae propriæ sed potius impropriæ significanda est.

Ex hoc quidem apparet, aliam esse donationem remuneratoriam propriam, aliam impropriam, easque in ipsis essentialibus differre. Nihilominus tamen defendi nequit, quamecumque donationem remuneratoriam vel ad unam vel ad alteram harum specimen referri posse. Nam haec membra non sibi contradictione opposita sunt. Vna eademque enim donatio remuneratoria diverso respectu

respectu facta esse potest ad delendam obligationem tam perfectam quam imperfectam, quare certo respectu propria certo impropria esse potest. Talis autem donatio ab utraque harum specierum distinguui debet, et nomen donationis remuneratoria secundum quid propriæ commode sibi vindicat. Si igitur non per saltum, sicuti hucusque factum est, distingue placet; species donationis remuneratoria ita exhiberi debent, ut *ibidem* antecedente datae sunt, nec donatio remuneratoria secundum quid propria plane omittenda, sed donationi remuneratoriae propriæ et impropriæ interponenda est.

Quamquam vero dictum est, donationem remuneratoriam ad elidendam obligationem perfectam tendentem proprie donationem non vocari posse; non tamen possimus quin inimproperia ad donationis species referamus, propter quod non solum plerunque in libera donantis voluntate positum est, utrum haec vel illam rem donatario dono dare malit, sed etiam ipse donatarius hoc negotium non tanquam solutionem sed veram donationem considerare solet. Nihilominus nullus tamen iusticias ibit, hance speciem inde valde ab alterius speciei natura diversa gaudere, sicuti quoque eius sub-species paragrapho antecedente exhibitat minime negligendas sunt, et inter se etiam non minus differunt.

Q. 4. qd. esse mino misel. *Separatio harum specierum necessaria.*

Sicuti diuisio paragrapho secundo exhibita ex re ipsa fluit, ita quoque insignem effectum in decidendis donationem remuneratoriam praementibus dubiis praebet. Species enim ibi enucleatae toto coelo distant, quaelibet suis requisitis essentialibus nuntitur, et paene nihil cum altera communie habet. Si itaque controversias obuenientes in genere dirimere volumus, semper in quo erramus, supererit. Nam simulac rem ipsam exactius examinamus, inuenimus cardinem totius rei in obligatione donantis ex præstationibus donatarii ortaveri, et prout haec vel perfecta vel imperfecta sit, ita etiam lites vel his vel aliis principiis decidendas esse. Quae quum ita sint operæ.


Operae pretium erit, cuiuslibet speciei essentialia, qualitates, et quidquid in ea notatum dignum sit exhibere, et quod ad quamlibet requiratur, plena manu promere.

§. 5.

Qualitas donationis remuneratoriae propriae.

Donatio remuneratoria propria non quidem existere potest, nisi bene meritum sive praefatio antecesserit, ex qua orta sit obligatio, sed necessario quoque requiritur, ut haec non nisi imperfecta sive naturalis sit (§. 2.) Naturaliter vero iterum aliquis ex facto antecedente alterius ad animum tantum gratum vel ad remunerationem actu praefandam obstrictus esse potest, quorum illum casum prius exponere licet. Si hanc donationem perflustramus, patet, eam in eo tantum a donatione simplici differre, ut certa praefatio anteiverit. Disquirendum igitur est, num haecce differentia specifica effectum iuris diuersum producat. Quamquam autem verum est, donantem ob munus praefitum ad hanc donationem, quae ideo omnino remuneratoria est 6), permotum esse; negari tamen nequit, illum quidquid dederit, sponte in alterum contulisse. Quinimo quum factum antecedens tam fuit exiguum, ut ex eo ne naturaliter quidem ad remunerationem obligari potuerit, ex re ipsa liquet, cum gratis deditse. Donationis simplicis requisita et essentialia in hac donatione remuneratoria non ergo mutantur, nisi in eo ut munus anteyerit.

- 6) Sunt quidem, qui contendant ad donationem remuneratoriam munus antecedens requiri singulare seu tale, ad quod praefandum praestans iam antea non obligatus fuerit. Mea autem opinione et talis donatione est remuneratoria, sed, id quod probe notandum, non impropria sed propria, quae igitur vel semper vel saltim in regula naturam donationis adsumit simplicis. Si itaque e. g. formosam decrepitus puellam in matrimonium ducit, sane haec iam vi officii obstricta est, ut huic cani capitis curam habeat quam plurimam. Quodsi huic officio satisfacit, senexque eo commovetur, ut donis eam decoret optimis, certe haec donatio est remuneratoria (§. 2.), sed utrum valeat alia quaesito ac infra decidenda est.



reuerit. Qui autem defendit : hanc donationis remuneratoriae speciem a donatione simplici in puncto juris differre, hoc discrimen vel ex ipsis legibus vel ex unica dicta differentia eruere debet. Sed ex hac defensio desumit nequit, quia praesitum beneficium tam vi- lis sicut momenti, vt ad animum gratum tantum obligationem non nisi imperfectam in iure perfecte nihil operantem produixerit. Le- ges vero de hac specie donationis remuneratoriae loquentes, ac sin- gularē quid praescriventes, ego saltim non nosco. Nam etiam si le- ges inueniantur, quae de donatione remuneratoria agant, tamen par- tum ex ipsis fere omnibus probari potest, eas de alia huius dona- tionis specie disponere, partim autem, quamvis una alterae in genere de donatione remuneratoria praescribat, quilibet ob specie- rum diuersitatem, qua toto coelo tam inter se quam ab ipso genere distant, concedet, non idem de omnibus speciebus valere posse: quam ob rem si quid huic dicto contrarium iussum esset, id ob essen- tiā huius speciei non ad hanc sed ad alias donationes remunerato- riae species referendum foret. Quibus praemissis non errare arbit- tor, dum assumo, hanc, de qua hic loquor, speciem donationis remuneratoriae eadem natura ac inde, qua quelibet donatio sim- plex, gaudere, hinc in effectu iuris ab ea non differre, sed princi- pia, quae in una locum inueniant, et in altera adhibenda esse. Quin- itaque

I.) in donatione simplici requiritur, vt consensus ab utraque parte sive potius oblatio vnius et acceptatio alterius addit; non minus in hac donationis remuneratoriae specie necesse est, vt res oblatā et acceptata sit.

II.) Quemadmodum in illa donans facultatem de re data dis- ponendi et titulo gratuito eam in aliud transferendi habere debet, ita quoque in hac talis facultas necessario requiritur, quare me iudice hanc donationem remuneratoriam loco pupilli exercere nequit tutor, qui non qualiter oblatio oblatio, et acceptatio acceptatio.

III.) Perinde ut in illa donatarius requiritur, qui titulo gra- tuito aliiquid acquirere potest, ita, nec haec valet, nisi quis tali qualitate praeditus sit. Ex qua ratione haec donatio remuneratoria nec inter patrem et filium in regula, nec inter coniuges, ni fallor, valet, de quo tamen infra pluribus,

IV.)


IV.) Sicut denique in illa res, quae datur, ita comparata esse debet, ut alienatio eius permissa sit, ita et in hac res, quae in commercio est, requiritur.

Ex his vero patet, unicam differentiam, quae inter has species obuenit, ac in facto bene merito consistit antecedente, quo obligatio tantum naturalis ad animum gratum oritur, nullos effe. eius ciuiles producere, ac vtramque donationem iisdem principiis diudicandam esse. Redeamus, ut rem ipsam illustreremus, ad exemplum §. tertio iam pro parte expositum. Titius Caio pro indicio, quod illi adulterii eique graue fuit, 1000 solidos dedit, mox Titius donationem, quia insinuatio non accesserat, reuocat; heic profecto quilibet dimidiam donationis quamvis remuneratoriae partem inualide datam, restituendamque esse contendit, ac ratio est, quia obligatio antecedens non remunerationem sed animum tantum gratum postulabat.

Transeo ad alterum distinctionis membrum, si scilicet alter ex facto alterius antecedente ad remuneracionem naturaliter obligatus est. Differentia horum membrorum ergo in eo consistit, vt obligatio naturalis ad animum gratum ibi, hic vero ad remuneracionem adsit. Hoc discrimen, licet, vt mox elucebit, omnino effectus iuris habeat, non tamen me impedit, quo minus hanc donationem adhuc ut propriam ob rationes spho tertio adductas agnoscam. Quare etiam omnia, quae de huius cospecie et de donatione simplici iamiam dixi, mea opinione hic quoque *in regula* applicanda sunt. Sed *in regula* dico, nam sine dubio ex differentia inter illas, quae in obligatione naturali ad reddendum consistit, oriuntur aliquot discrimina, quae proflus negari nequeunt. Quaelibet nimirum obligatio moralis, vni inter omnes constat, est vel naturalis, vel ciuilis vel mixta, quarum prima effectu quidem actionis desituta est, attamen varios alios, nisi plane inefficax et reprobata sit 7), effectus iuris habet 8). Nunc vero subsumo

7) Vt e. g. intercessio seminarum SCto. Velleiano non renunciato, et facta pupilli sine tutoris auctoritate.

8) BÖHMERI introductio in ius Digestorum Lib. 44. Tit. 7. §. 4.



Subsumo, hanc donationem remuneratoriam et donationem simpli-
cem non differre, nisi in obligatione donantis antecedente naturali
ad remunerandum: hinc concludo, illam secundum eadem principia,
quae in hac locum inueniunt, tam diu tractandam esse, quaudiu ex
singulari differentia nulla diversitas oriatur. Quum itaque sine dubio
obligatio naturalis in regula certis quibusdam iuris effectibus per in-
directum gaudet, sicut regulam: haec donatio remuneratoria aequa
ac simplex aestimanda est, nisi ex obligatione donantis antecedente
naturali ad remunerandum exceptio deduci queat. Exemplum et rem
et regulam illustrabit. Titius diues 800 solidos Cajo pauperi dat, ac
ut haec donatio insinuetur curat, quo alleuamento hic diuitias parat,
quam e contrario Titius plurima amittit bona. Aperte Caius rebus
sic stantibus ad 800 solidos Titio restituendos natuliter obligatus est,
quos tamen deficiente obligatione ciuit Titius iure perfecto exigere
nequit. Ponamus autem: Caius hac obligatione imperfecta permis-
tus sine insinuatione promittit Titio, se ei datos 800 solidos redditum
cuius tamen promissionis mox Caium poenitet, et eos solvere
recusat, quo facto Titius cum conuenit. Hic sine dubio adest dona-
tio remuneratoria, nihilominus Titius, mea opinione, non plus quam
500 solidos iure postulare potest perfecto, nam quum naturalis tan-
tum obligatio hic aderat, ex eaque nullum ius agendi oritur perfe-
ctum, in actione haec donatio remuneratoria eandem naturam reti-
net, quam habet donatio simplex. Sed assumamus, Caium Titio
illos 800 solidos redditum non solum promisisse, sed etiam confessim
dedisse, ac nunc Caium factae donationis poenitere, hinc inde ad
restituendos, quin donatio sine insinuatione facta sit, 300 solidos
agere; omnino defendo, Titium exceptione donationis remunerato-
riae tuendum esse, nec ad restitutionem 300 solidorum condemnari
posse, quum obligatio naturalis non quidem actionem bene vero ex-
ceptionem producat⁹⁾. Ejusdem etiam sententiae PAPINIANVS in
L. 27. ff. donat. est. Ibi enim quidam NICOSTRATVS officio ma-
gistris apud Regulum functus erat, cuius intuitu per litteras hic illi
debit et permisit in aliquo coenaculo habitare, eoque vti. Ait de-
functo Regulo NICOSTRATVS controversiam de habitatione pati-
tur, ac PAPINIANVS, quicum NICOSTRATVS contulerat, re-
spon-

9) L. §. 4. ff. de pact. L. 6. ff. de compens.

spondet: „defendi potest, non meram esse donationem, verum officium magistri quadam mercede remuneratum Regulum. Hic aperte sermo est, 1) de donatione remuneratoria, 2) de donatione remuneratoria propria, non enim aderat perfecta obligatio, cuius vendae gratia donans ad donationem erat permotus 10) et quidem 3) de ultima donationis remuneratoriae propriae specie. Quum vero heredes donantis donationem reuocarent, ex ipsa lege quidem fundamentum reuocationis non appareat; sine dubio autem in eo positum erat, vt donans non solemniter 11), vt tunc temporis requirebatur, sed per epistolam tantum ergo inutilido 12) modo dedisset. Hoc fundamentum etiam iis temporibus sufficeret, si donatio fuisset simplex, aut donatione remuneratoria propria donatarius agere voluisse, ast non, quum contra eum haeredibus agendum esset, PAPINIANVS dicit: *defendi posse non meram esse donationem.* Quis vero heic sensus est Papiniano? Respectu juris ciuilis omnino donatione est mera, nam nulla praeiverat obligatio donantis perfecta. Sed ratio in aprico est, dicere vult PAPINIANVS: obligatio (vt et ex circumstantiis appareat) naturalis in eo latitat, atque quum ex ea exceptio donatario competit, haec efficit, vt haec donatio, quum res ita se habeat, a natura merae donationis recedat nec irrita fiat. At qui, quum in priori donationis remuneratoriae specie, nulla adest obligatio ut heic, ad remunerandum, quippe quae sola exceptionem producit, sequitur, vt haec lex ad illam extendi nequeat, sicuti etiam, quum ratio huius decisionis PAPINIANI in exceptione ex obligatione natura-

10.) Defendit quidem STRYCK in C. C. sect. 3. c. 9. §. 3 contrarium, sed species facti ipsius legis cit. pro me militat.

11.) Schilteri exercit. ad ff. exerc. 43. §. 3.

12.) Glossa quidem l. 27. cit. Regulo, inquit, defuncto morta fuit questione illi magistro de illo coenaculo, quasi haec donatio non valuerit, quae facta erat praceptoris, vel quia ultra legitimum erat modum. Sed quidquid est auctoritatis Glosiae; ne tamen ut hanc rationem agnoscere instam non mouet. Nullam enim nosco legem, quae praceptoris dare prohibeat, nec hanc donationem ultra legitimum modum esse ipsa res facti docet. Dictam vero sententiam iustissimam esse probat lex 32. eod. in qua nullius fit Praeceptoris mentio, sed ratio reuocationis in eo ponenda est. vt donatio per epistolam sine stipulatione aut traditione et sine villa sollemnitate facta sit.

naturali competente sita est, haec tunc non applicari potest, quando donatarius in alia ratione ex obligatione naturali, non fluente, se fundat. Ex his igitur quilibet perspiciet, ipsas has donationis remuneratoriae propriae species distinguendas esse 13: quare quoque (vt reliquias differentias ex regulis datis sponte promaneentes silentio transcam) omnino ob ingratitudinem donatarii illa, minime autem haec redocari potest.

Quamquam autem principia donationis remuneratoriae propriae hoc modo, ni fallor, recte ac in theoria rite exposta sunt; confitendum mihi tamen est, in eorum applicatione multas adhuc obuenire difficultates. Difficile enim est, fines terminosque obligacionis naturalis ad animum gratum et ad remuneracionem constituer, nec minus determinare, quanta fuerit ipsa obligatio ad remunerandum. Nam si plus datum est, quam quod donans iure naturali dare obligatus fuit, tota quidem donatio manet remuneratoria, sed eattenuus tantum in iure ciuili qua talis haberi potest, quatenus obligatio ad remunerandum aderat, reliquum sine dubio donationis natura fruatur simpliciter. Attamen haec difficultates eiusmodi sunt, vt nullo modo e medio tolli queant, quare mihi eo magis opus esse videtur, vt in theoria norma aliqua certa iuslo modo figuratur, ne cestantibus principiis omnibus omnia in praxi misceantur turbenturque,

§. 6.

Qualitas donationis remuneratoriae impropriae in specie.

In donatione remuneratoria impropria in genere e contrario requiritur, vt dans ad aliquam delendam obligationem antecedentem perfectam aliquid det. Atque quum nullo modo hic defendi possit, non officio potest, neque voluntate obligari illi non possit, 13) Ad neutram harum specimen l. 34, §. I, ff. de donat. referri potest. In hac enim sermo est de munere antecedente, quod obligationem antea produxerat perfectam. Nam vero nemo cogi potest, vi suas virtes fortasse periculo vitae in viriliterem alterius impendat. Qui igitur alterum a lastris obtrunculis vel hostibus cripuit, certe etiam iure perfecto aliquid existet, quare haec lex in has non quadrat species, quamquam de hac suo adhuc commemoratur sumus loco.

possit, hanc collationem rei aliquius gratis in alterum fieri; facile quilibet perspicet, hanc donationem optimo, nisi omnino eam donationis nomine priuare praestat, cognomen *impropriæ*, mereri iure, simulque inueniet, principia donationis simplicis in huius donationis remuneratoriae *impropriæ* speciebus respectiue vel minime vel sub certis tantum saltim limitibus applicari posse.

Prima huius species est donatio remuneratoria *impropria* in specie seu stricte sic dicta, in qua obligationi perfectae antecedenti donans satisfacit donatione rei eiusdem pretij quanti fuerat obligatio. Inde haec ut quaevis alia species donationis remuneratoriae *impropriæ* essentialibus requisitis donationis caret, ad quae in primis refero, quod res non titulo gratuito sed in compensationem et ad extingendum debitum datur. Errant ergo qui principia donationis simplicis hic adhibenda esse defendant. Nam quum rem exactius inspicimus perfacile persuasum nobis est, hic non nisi veram solutionem agi, adest enim re ipsa ius perfectum ab una parte, quod præstatione aliquius rei ab altera parte eliditur, qua itaque ratione, nisi omnia me fallunt, nullo modo donationis sed vnicce solutionis in hoc negotio statuenda sunt principia. Quum enim haec donatio a solutione non differat, nisi vt in illa necessario creditoris 14) accedere debeat confusus, quo aliud pro alio acceptat, quum contra ea in hac eadem res in regula danda sit, quae debetur; iisdem etiam, quibus solutio, nittitur principiis: quare ex his sequitur,

- I.) ut qui donationem remuneratoriam *impropriam* stricte sic dicam exercere velit, facultate soluendi gaudere debeat, quam ob rem tutor hoc modo, aliis cessantibus impedimentis, omnino valide donare potest.
- II.) ut ei tantum in remuneracionem *impropriam* in specie sic dicam aliquid dari queat, cui solvi potest. Hinc inde in pupillum nihil hoc modo valide et in hunc finem conferri potest, vt obligatio cuius intuitu detur extinguitur.

III.)

- 14) Quod nullam fere differentiam inter hanc donationem et solutionem invenio; nullus dubito, quin donatarium appellem creditorem, Reuera enim donatarius est creditor et pro donations remittit ius suum perfectum.

C

III.) ut res, quae in remunerationem impropriam in specie datur, tanti sit valoris quanti fuerit obligatio. Nam perinde ac in solutione nec plus nec minus solui potest, quam quod debitor praeflare obligatus est, nisi donatio vel ab una vel ab altera parte accedat, ita etiam hic, nisi vere aliquid donetur, et res quae datur, et obligatio antecedens eiusdem pretii esse debent 15).

IV.) ut eterque, tam donans quam donatarius, seu potius debitor et creditor in hanc rem respectiue dandam et acceptandam conveniant 16).

Si haec omnia in donatione remuneratoria in specie sic dicta adfunt, sicuti necessario ad eam requiruntur; eosdem, quos ipsa solutione, habet effecitus. Cessat scilicet tali praeftatione siue donatione obligatio antecedens perfecta, nec ullum ius intuitu eius manet donatario. Simili etiam modo in quaestoribus: an talis donatio valere possit et quid de ea statuendum sit, non ut donatio sed ut solutione semper considerari debet.

§. 7.

Qualitas donationis remuneratoriae impropriae ordinariae.

Secunda donationis remuneratoriae impropriae subspecies est ea, quam vocamus ordinariam, in qua alter ad elidendam obligacionem antecedentem perfectam alteri rem maioris pretii dat, quam quanti illa fuerit obligatio. Haec saepissime obuenit et omnium in praxi est frequentissima, ex qua ratione etiam ordinariam appellamus. Tota haecce donatio in communi vita quidem semper remuneratoria vocatur, et si re ipsa pro parte sit simplex. Si enim subtiliter rem persequi volumus; eam eatenus tantum remuneratoriam appellate licet,

quatenus

15) Quum tam ad donationem quam ad solutionem ut res in commercio sit requiritur; huius qualitatis necessariae nullam facio mentionem.

16) Hoc unicum est requisitum, quod non ex similitudine huius donationis cum solutione sed ex peculiari huius donationis qualitate descendit.

quatenus per eam praestatio remunerata est. Atque quam remuneratione ipso munere non maior esse potest; sequitur ut haec donatio etenim tantum nomen remuneratoriae mereatur, quatenus obligacionem ex praestito munere ortam non excedit. Sane enim quod dans ad extinguidam ex praeeunte praestatione descendenterem obligacionem in alterum confert est remuneratio, quod vero amplius largitur non ut remuneratoria sed ut simplex tantum haberi potest donatio. Quam vero tota donatio nomen remuneratoriae sibi vnu loquendi adscuerit; nec nos ei honorem huius denominationis quidem inuidemus, sed caueamus, ne cum hoc adulterio nomine simul ei naturam attribuamus spuriam. Nam ex iniusta denominatione Doctorum ortus est dissensus, nataeque inde sunt difficultates illae graues, quibus hucusque donatio remuneratoria premitur. Ut vero quocunque est dubium plane funditusque e medio tollamus, rem ipsam inquiramus, eamque consideremus intuitu.

I.) fundamenti: hoc consistit, sicuti iamiam dictum, in praestatione antecedente, qua obligatio orta est perfecta.

II.) obiecti: respectu huius requiritur ut res sit ea,

- 1) quae in alterius dominium transferri possit et quidem tam titulo
 - a) oneroso quam
 - b) gratuito.

2) quae maioris sit aestimationis, quam ipsa est obligatio.

III.) subiectorum seu personarum et quidem

- 1) ambarum quarum intuitu iterum requiritur, vt triusque consenserit ad eam. Nam neuter cogi potest neque ad donandum neque ad recipiendam aliquam rem pro obligatione alio modo praestanda.


2) vtriusque ac iterum

a) donantis. Hic suscipit duo negotia,

- a) soluit, dum quod debet praefat, ergo requiritur, ut qui hoc modo donare vult, saltum facultate foluendi gaudeat.

C 2

B) do-



- β) donat, ergo non sufficit facultas soluendi, quae alias competit tutori, sed tam libera dispositio de rebus suis necessaria est, qua etiam titulo gratuito aliquid in alterum transferri potest.
- b) donatarii, et respectu huius negotium diversae est naturae, nam
- α) ei soluitur, ergo talis esse debet, cui valide solui potest, hinc non semper haec donatio liberat donantem si collata est in minorem.
- β) gratis acquirit, ergo facultate, titulo gratuito aliquid acquirendi, gaudere debet. Si itaque alter coniugum hoc modo alteri aliquid dat, procul dubio eatenus tantum valet, quatenus valorem obligationis antecedentis non excedit, de quo tamen in parte speciali §. 12 pluribus,
- IV.) principiorum, secundum quae haec donatio diiudicanda est. Duo negotia valde inter se discrepantia hic obueniunt, ergo horum utriusque principia hic adhibenda sunt. Negotiorum vero
- 1) primum est solutio debiti, quod vtdeleatur sane donantis primus est finis. Ergo quatenus est solutio eatenus eius principia hic applicanda sunt. Locum itaque respectu eius quae §pho antecedente dicta sunt, inueniunt.
 - 2) secundum est donatio eaque reuera simplex, ergo intuitu eius ad donationis simplicis requisita respiciendum est, et hic quoque, quae §phus V exhibet, in usum reuocanda sunt.
- Tali modo mea opinione regulae in thesi recte determinantur, secundum quas haec species diiudicanda est. Nihilominus tamen labens confiteor, eas nonnunquam in concreto et casu speciali difficultis esse applicationis. Determinandum scilicet est quanti aestimanda sit praefatio antecedens, quanti subsequens res donata. Prior autem tanti habenda est, quantum iure pefecto, qui manus praefliterat, postularare potest, cuins vero aestimatio ab arbitrio iudicis magis in favorem donatarii quam donantis dirigendum est. Hie enim sane sensus est I. 34. §. 1. ff. de donat. Nam quum Paulus ibi dicit: *vñ si quis aliquem a latrunculis vel hostibus eripuit, et aliquid pro eo*

vñab


nab ipso accipiat: haec donatio irrevocabilis est; sine dubio non huic fuit sententiae, vt alter alteri, cui perfecte ex benemerito antecedente obligatus est summam immensam et in infinitum dare possit. Sed certe voluit, vt aequam facti tam grauis et difficilis taxationis iudex ferat aestimationem, quare etiam verba: „*non merces eximiia laboris,*“ addit 17). Sed respectu rei donatae subsequentis distinguendum est, vtrum huic certum aliquid singulare sit pretium intuitu donantis et donatarii nec ne. Si prius, hoc valore aestimanda est, e.g. fratres Caius et Titius ambo ex paterna hereditate Patri annulum valorem communis decem aureorum cupiunt, quia eterque, vt iunt, pretium affectionis in eo ponit, hinc viginti solidis aestimant et sortiuntur. Sed Caius, qui annulum forte accipit, Titio eum in remunerationem dat, quo se obligatio duodecim solidorum aestimationis liberat, qua occasione hic iterum affirmat, se libenter Caio adhuc viginti solidos pro annoculo soluisse, nisi ipsi in remunerationem dedisset. Sed post aliquot annos de pretio anni queritur, et respondendum erit, annulum sub his circumstantiis non secundum valorem communem sed tanti aestimandum esse, quanti tunc temporis inter fratres habebatur. Sin vero posterius, scilicet tale pretium speciale inter donatarium et donantem probari nequit, eius valor a iudice determinari debet, id quod saepe plures adfert difficultates.

§. 8.

Qualitas donationis remuneratoriae impropriae extraordianariae.

Progradimur ad ultimam donationis remuneratoriae impropriae speciem scilicet extraordinariam, quae in eo consistit ut quis obli-

- 17) Etiamsi vero concederem, dictam legem ita non interpretari posse; nunquam tamen ex ea satius probatur, quamlibet donationem remuneratoriam in infinitum valere. Nam 1) sane haec lex corrupta est, vid. WUNDERLICH in diff. *evictione in donatione remuneratoria non praeflenda* §. 12. 2) Loquitur tantum de remuneratione, cui sine dubio obligatio antecedens perfecta. 3) Si dicitur „*donatio irrevocabilis est,*“ his verbis sensus est, vt in modice seu contra modum legibus concessum donati queat, quod etiam in quilibet donatione remuneratoria impropria verum est, quippe in qua obligatio antecedens in computationem trahi debet, et hac de re quilibet summam in lege praescriptam catenus in ea excedere potest, quatenus iam antea perfecte obligatus erat.



obligatione perfecta antecedente se donatione minoris valoris consensu donatarii liberet, quanti fuerat ipsa illa obligatio. Haec non solum rarissime obuenit, sed etiam a reliquis donationibus maxime discrepat, hinc eam vocamus extraordinariam. Primus enim intuitus docet, hanc donationem tam longe ut nihil supra et a propria donatione et a reliquis impropriae speciebus distare. Nam re ex aelius perspecta liquet, donatarium in hoc negotio aliquid reuera donare, ac contra ea donantem aliquid dono accipere. Quam ob causam has denominations permutare et donatarium donantem, hunc vero donatarium appellare auerem, nisi vererer ne hac in se quidem iusta attamen inusitata nominum transmutatione oriretur confusio. Maneant itaque verba, maneant eorum sonus vbi que iamiam receptus, quinimo iisdem vtatur, sed rerum ipsarum significatus determinemus qualitates ac naturam, ne in perfrutandis earum essentialibus conjectariisque erroribus ducti fallamur. Quum igitur quilibet persuasum habebit, eum, qui in hac donatione aliquid in alterum transfert, re ipsa non donare, sed consensu donatarii sic dicti alteram obligationis partem delere, alteram vero gratias remissam acceptare, atque hinc, quamquam donans nominetur, nullo tamen modo talem haberi posse; lubens etiam concedet, totum negotium a parte donantis sic dicti non esse veram donationem, et principia donationis aequa minus in eum qua donantem quam in alterum qua donatarium applicari posse. Disquirendum itaque est, quid respectu tam vnius quam alterius statuendum sit. Ille sic dictus donans autem duplex peragit negotium. Primo obligationis parte donatione alterius rei se liberat, ac tali modo soluit. Qua ex causa hic et id quod circa solutionem iustum est locum innenit, et principia §pho VI. respectu donantis adducta applicanda sunt. Quodsi igitur quaereretur, num tutor hoc modo donare possit; nullus quin hanc questionem affirmarem dubitatus essem. Etsi enim tutor in regula non donare potest, hanc tamen donationis speciem valide subit, propterea quod ea donatio verbotenus tantum talis re ipsa vero est solutio. Sed quum procul dubio tutor facultate soluendi gaudet et ad recipienda dona pro pupillo obligatus est, omnino etiam, nisi alia obstant impedimenta, hoc modo valide et soluit et simul pro pupillo quod remissum est acceptat.

Deinde

Deinde autem eiusmodi donans partem obligationis gratis re-
missam acceptat. Ergo respectu eius adhuc necessario requiritur,
vt ei aliquid valide donari possit. Paradoxon quidem esse videtur:
cam tantum valide donare posse, cui valide aliquid donatur. Sed
res salua est. In hac enim donationis specie donans est donatarius
et vice versa, ac quum donanti remittitur obligatio pro minori pree-
stitatione, aperte quaestum facit, et gratis acquirit. Ponamus ita-
que: ecclesiae vel monasterio diniti gratis aliquid acquirere prohi-
bitum esse, ne diniti incrementum adferat; procul dubio nec hoc
modo donare ei licitum erit, quum alias tantum in fraudem legis
donaret, et donationibus gratis acquireret.


Respectu alterius partis scilicet donatarii sic dicti mutatis mu-
tandis eadem statuenda sunt, quae iamiam de donante diximus.
Nam si quod facit examinamus, e re ipsa apparet, in hunc nihil
gratis conferri, ipsum potius donanti aliquid dare, quippe qui obli-
gationem remittit, quae quam ipsa res data maioris est aestimationis.
Hinc pariter hicce donatarius in iure qua talis haberi nequit, ac si
quaeritur, utrum valeat haec donatio? intuitu huius iterum necesse est
tam ut ei valide solui quam ut ipse valide donare queat. Quare,
quamvis tutor ac ipse pupillus, si quid huic detur, acceptare pos-
sint, tamen in hac donatione eorum acceptatio non ita valet, ut ea
obligatio donantis dissoluatur.

§. 9.

Qualitas donationis remuneratoriae secundum quid propriae.

Supereft adhuc ultima donationis remuneratoriae species, quae
est donatio remuneratoria secundum quid propria, ac tunc locum in-
venit, quando alter alteri eum in finem dat, ut plures obligationes
antecedentes tam imperfectam quam perfectam extinguat, quare
etiam certo respectu propria, certo vero impropria ergo secundum
quid propria aut si maius secundum quid impropria est. Diutius
itaque haec donatio naturis praedita est, atque ex his sequentia fluunt
corollaria,

I, in



- I. In hac donationis specie saltim duae diuersi generis obligatio-nes requiruntur antecedentes.
- II. Quod datur maioris esse debet valoris, quam quanti sola obli-gatio fuit perfecta. Alias enim vel huic tantum vel ne huic quidem satisficeret, minime vero vtrique, atque tunc non haec foret species sed in aliam degeneraret.
- III. Quatenus donatio remuneratoria est improppia eatenus quo-que principia solutionis §pho VI exhibita et hic locum in-ueniunt.
- IV. Quatenus vero est propria eatenus id quod §pho V dictum est vsum habet, ac normam decidendi p[re]aescribit.

§. IO.

Obseruatio generalis.

Iam supra dictum est, in donatione vtriusque partis conser-vum seu potius oblationem ab una parte et acceptationem ab altera necessario requiri. Disquirendum igitur est, quid flatuendum sit, si eandem donationem alter credidit remuneratoriam 18) alter sim-plicem, num valeat nec ne? Hic distinguo, vtrum donans simpli-citer donauerit et donatarius in remuneracionem acceptauerit, an donans in remuneracionem dederit et donatarius hanc donatio-nem esse simplicem arbitratus sit. Priori casu, qui horum est ra-riissimus, iterum respicendum est, num lis hac de re mota nitatur in vanitate quadam, ita ut alter iactetur se alteri aliquid dono de-disse, id quod hic in malam partem accipit, et defendit, se illud donum in remuneracionem acceptasse, et eius intuitu obligationem maiorem alteri remisisse, quibus permotus donans se ad illius obli-gationis p[re]stationem offert, quam tamen acceptare donatarius re-cusat, nisi prius ille donum recipiat, quod spernit. Quo in casu quo-


niam

18) Sub voce donationis remuneratoriae hic eas eius intelligo species, quae non eandem cum donatione simplici habent naturam.

quoniam latet cavillatio et litigantium neuter sane ducitur ratione, omnino auctoritatem iudicis locum inuenire credo, qua totum negotium mea sententia non male finitur, si sanctitur, ut donatarius reddat 19) donum ac donans soluat obligationem antecedentem: si autem ille obligationem sibi praestari vel hic donum recipere nollet, vt tunc vel hoc vel illud vel utrumque in utilitatem pii alicuius corporis verti, et respectu donum ut redditum seu obligatio ut praesita haberi debeat. Sed haec sane rara est aus hisce temporibus. Si vero, id quod saepius accidit, alter simpliciter donat, alter in remuneratione acceptat, hinc animo obligationem remittit, vterque autem errore intellecto, ille se in remunerationem donasse, hic vero se simpliciter acceptasse cupit; causa difficultior est ad diadicandum. In terminis casus foret hic: Caius dat Titio in miserie versanti centum solidos ea, tamen lege, ut sibi illos restituat si ad fortunam perueniat aliquando pinguorem, alias autem eos retineat. Titius acquirit diuitias, et Caio annulum 200 solidorum dat, ea tamen intentione ut ei praeterea illos adhuc 100 solidos restituere velit, Caius vero in remunerationem illius debiti huncce annulum datum arbitratur, eumque in finem accipit. Post aliquot menses dissensus inter eos emergit, et quum Titiu donationis poeniteat, ac Caio denegat illos centum solidos restituendos, queritur utrum donatio valeat nec ne? et si prius, utrum fuerit simplex an remuneratoria et hoc casu ita ut solutio facta sit? sed ni fallor omnino valet et quidem ut donatio simplex, ita ut adhuc debitum restitui debeat. Nam sine dubio is qui in maius consentit simul etiam in minus consentire videtur. Si ergo donatarius in remuneratoriam donationem sibi minus vtilem consensit; multo magis etiam consensit in simplicem sibi vtiliorem, hinc reuera consensus adfuit. Sed ita res sepe in donante non habet, quippe qui per hypothesis in remunerationem donare consulto nolebat, quamquam intentionem non ut sufficit expresserat.

Venio

19) Si res ipsa restitui nequit, pretium eius praestandum erit.



Venio ad ultimum distinctionis membrum, quod saepissime
in praxi obuenit, et in eo consilium ut donanti in remunerationem
donandi donatario vero simpliciter accipiendo adfuerit animus.
Quodsi hic diuersus partium animus ac dissensus extra dubitationis
aleam positus est; sane donatio tamquam simplex non valet, nam
in eam donans aperte non consensit. Reslat ergo num ut remu-
neratoria defendi possit, id quod contradicente donatario plane ne-
gandum mihi esse videtur. Nam donatio remuneratoria impro-
pria solutionem in se continet et quidem talem, qua alia res pro
alia substituitur, ad quam substitutionem vero acceptandam dona-
tarius inuitus cogi nequit. Totum ergo negotium aperte est, con-
fensus deficiente, nullum. Etsi enim eterque in donationem in ge-
nere consenserit, nihilominus tamen dissensus respectu specierum
adfuit. Atqui quum donatio simplex et donatio remuneratoria im-
properia in ipsis essentialibus toto coelo dissentient; necesse est ut eter-
que in easdem donationis species consentiat, si scilicet ut donatio
sit alicuius momenti volumus.



PARS

PARS SPECIALIS

exhibens singulares aliquot controversias hanc materiam spectantes.

§. II.

De insinuatione in donatione remuneratoria ultra quingentos solidos.

In parte generali omnes regulas ita quidem expositas esse credo, vt ad casus obuenientes speciales, ni fallor, commode applicari possint, nec horum quisquam inueniatur, qui his ducibus decisione careat; nihilominus tamen licet in hac parte speciali controversias aliquot adhuc singulares de hac matris proferre, tam vt iis datae regulae illustrantur, quam vt hac occasione, quid in iis sit dubium, disquiratur et pro facultate ingenii e medio tollatur.

De pluribus quaestionibus quorum iunctu inter ICtos valde certatur hanc primam eligamus: num icilicet donatio remuneratoria quingentos solidos excedeas insinuatione egeat?

Quod ad ipsam constitutionem attinet, qua donationem 500 solidis maiorem insinuandam esse iubetur, probe notandum est, eam ab initio non ita vt nunc iacet, comparatam fuisse. Iam diu enim leges praecesserant, quibus donatio exiguis circumscripta erat limitibus, cuius ratio sine dubio ex nimia in donationibus Romanorum intemperantia illorum temporum petenda est. Harum legum prima fuit lex Cincia 20), quam sequuta est Constantii Chlori constitutio 21)

ab

20) Haec lex, a. u. c. DL. lata, tria in se continet capita, quorum primum fuit, ne quis munus vel donum ob caussam orandam accipiat: secundum ut traditio in donationibus accedat: tertium ne quis ultracertam donet summam, quam centos aureos fuisse arbitratus **CIVICVS in Observ. Lib. 4. c. 18. et SCHYLTING in iurisprud. veter. antequiustin.**, pag. 561.

21) Hie iussit, vt donatio non nisi in scripturam redacta atque insinuata valerer.

21103512

ab eius filio Constantino Magno confirmata atque exasperata 22). His vero constitutionibus non solum THEODOSIVS secundus, VALENTINIANVS et Honorius 23) aliquid vigoris detraxerunt, sed ipsa quoque l. 34. C. de donat, 24): dum tandem §. 2. I. donat, et l. 36.

22) L. I. C. Theodos. de sponsal. „Pater noster nullam voluit liberalitatem valere, si actis infra non esset.“ Sed bacce paternae confirmationis non contentus fuit Constantinus Magnus ferens præterea l. I. C. Th. de donat, in qua adhuc corporalem traditionem requirit. Ex hac dicta l. I. desumpta est l. 25. C. Iust. in qua tam fere in fine omnilia sunt verba „et corporalis traditio subsequatur ad excludendam vim arque inruptionem advocata vicinitate, omnibusque arbitris adhibitis, quorum potest probabitur donatio tam rem, si est mobilis, ex voluntate traditam donatoris; vel si immobilis abcessu donantis novo domino patefactam.“ Respectu harum legum itaque idem Constantinus dicit l. 27. C. Iust. eod. quae in l. 5. C. Th. eod. inventitur „DATA IAM PRIDEM LEGE statuimus, ut donationes interueniente actionum testificatione conficiantur. Etenim l. i. C. Th. de sponsal. et l. i. C. Th. de donat. ante l. 27. cit. latas esse ex consilibus apparet. Prior enim CONSTANTINO ET LICINIO consilibus ergo anno Christi 312. data est. Respectu legis cit. i. C. Th. de donat, quidem Codex Theodosianus et Iustinianus inter se discrepant, in illo enim SABINO ET RUFINO ergo anno 316. in hoc autem SEVERO ET RUFINO Consilibus ergo 323. haec lex lata fuisse dicitur. Sed, quidquid est, utroque casu tamen prior lege citata 27 fuit, quam haec DALMATIO ET ZENOPHILO Consilibus ergo anno 333 et iam Constantinopoli data sit.“

23) SCHILTER exerc. 43. §. 7. — Inter has mitigationes notatu mihi dignissima est, quae continetur in l. ult. C. Th. de sponsal. quae ita sonat, „in illa donatione, quae in omnibus intra ducentorum solidorum quantitatem est, nec actionum confectione quaerenda.“ Hac enim prima est Imperatorum lex, qua, omnibus postpositis sollemnitatibus ac scripturis ad certam suminam restringitur donatione: licet errare mihi videntur, qui haec legis verba ad quamlibet donationem extendunt. Aperte enim tam in toto hocce ritiulo quam in hac lege de donationibus ante nuptias sermo est, id quod etiam ratio, quae his verbis in l. cit. immediate adiuncta est, quam latissime probat. Hinc excepta unica haecce donatione ante nupcias iis temporibus adhuc et scriptura et corporali traditione opus erat.


24) Lege vlt. C. Th. de sponsal. sane Iustiniano inciderat in mentem, emnes donationes minoris momenti sollemnitatibus solvere ac summa-

I. 36. *f. vlt. C. eod.* lanicitum est, vt donatio usque ad 500 solidos valere debeat.

Iam si quaeritur, num donatio remuneratoria 500 solidis maior insinuanda sit? in primis caute disflinguntur, num donatio remuneratoria sit propria vel non? Si prius, in punto iuris ciuilis eiusdem est naturae ac indolis, quam ipsa donatio simplex (§. 5.), si scilicet orta est ex obligatione donantis naturali ad animum tantum gratum. Atqui quum donatio simplex omnino insinuatione indiget; procul dubio ea etiam ad hanc donationem remuneratoriam propriam validam requiritur. Si vero ex obligatione naturali ad remunerandum donans ad eum commotus est, in regula quidem adhuc insinuatione opus est, attamen per hypothesis non nunquam sine insinuatione valet, id quod tunc accidit, quando donatarius iustam exceptionem ex obligatione naturali desumit, cuius exemplum tam in paragrapho V quam in I. 27. de donat. inuenis 25). Si vero posterius, nimisrum si donatio remuneratoria non est propria, tunc vel improppria vel secundum quid propria esse potest. Decisionem huius membris in finem huius §phi differamus, in illo autem iterum ad species illius donationis respiciendum est. Nam si est donatio remuneratoria stricte sic dicta sane nulla indiget insinuatione, quippe quod in ea tanta datur remuneratio quanta fuerat illa obligatio perfecte praefstanta. Ergo re ipsa hic nihil ab uno in alterum gratis transfertur, quare etiam

mam aliquam determinare fixam, quam nulla exceedere deberet. Hanc vero quantitatem in I. 34 pr. cit ad trecentos extendit solidos, exceptis donationibus imperialibus et ad pietatem respicientibus, quippe que usque ad quingentos solidos permittebantur.

25) Iam CARMON in Diss. de remunerationibus Principum erga Ministros praefertim ob benemerita C. I. §. 10. II. opinionis fere eiusdem est, dum, „requiruntur“, ait, „ad donationem remuneratoriam „bene merita specialia, ob quae vel actio datur vel valde sint singularia. Exempla vide in I. 34. §. 1. I. 27. de donat. I. I. ff. de extraord. cognit. Alias si nulla vel modica praecesserunt benemерita remuneratio referenda ad donationem propriam.“ Eo tanquam lapsus est, ut definitiones non accurate determinaverit, nec iusto modo species exposuerit, nec membra contradictorie opposita exhibuerit, quam alias eandem sententiam fuisse mihi videtur.



etiam nulla insinuationis adest ratio. Ast si donatio remuneratoria impropria est ordinaria tunc ratio superflui habenda est, ac si donans plus dat, quam quod dare iure perfecto obligatus erat, inspicendum est, utrum adhuc haec quantitas 500 solidis maior sit nec ne? Illo casu insinuatio non negligenda, hoc vero non necessaria est. e.g. Caius Titio munus praeslitit, ex quo hic illi ad centum solidos foluendos perfide obligatus erat. Sed Titius Caio in remuneracionem domum valore 800 solidorum dat, et quaeritur, num insinuatione opus sit? certe haec quaestio affirmanda est, et si omittitur insinuatio sine dubio Titius 200 solidos repete potest. Quamquam enim Caius primo centum solidos, quos Titius ei debeat, in computationem fert, et deinde adhuc donatio quoad 500 solidos valet; supersunt tamen 200 solidi, qui, si donante m donationis poenitet, restitu debent, quum e contrario, si Titius Caio 300 solidos debuisset, tota summa intacta, mea opinione, mansisset. Si denique donatio remuneratoria impropria est extraordinaria, certe respectu dantis sine insinuatione valet, sed a donatario tunc reuocari potest, si eius remissio, deducta re data, 500 solidos superat. Nam remissio etiam est donatio 26). Si ergo 1200 solidi remittantur et 600 tantum dantur; omnino insinuatio requiritur, non quidem eum in finem, ne dans donationis partem repeatat, sed ne donatarius remissionem saltim quoad centum solidos reuocet, quos ut restituat alias omnino ipse donator cogi potest.

Deficit adhuc decisio membra hucusque dilata, si scilicet donatio remuneratoria secundum quid est propria. Hoc casu donatione partim obligationi civili partim naturali donans satisfacit. Respectu prioris non nisi donatio remuneratoria impropria stricte sic dicta esse potest. Nam reliquum est ad delendam obligationem posteriorem nimurum naturalem referendum. Etiamsi igitur donatio remuneratoria secundum quid propria 500 excedat solidos, eatus sine insinuatione valet, quatenus est impropria. Si vero quod ad obligationem naturalem extinguendam abundantius datur adhuc 500 solidos superat, nec exceptione ex obligatione naturali ad remunerandum desunita defendi potest, omnino insinuatio requiritur.

§. 12.

26) BÖHMER *Introduct. in ius Digest.* Lib. 39. Tit. 5. §. 12.

§. 12.

De donatione remuneratoria inter coniuges.

Secunda quaestio, quae paragrapho speciali digna mihi esse videtur, est: num donatio remuneratoria inter coniuges valeat?

Fons primus, ex quo prohibitio donationum inter coniuges fluxit, non est lex scripta sed potius mos maiorum 27), qui tamen ex aliis legibus sanam duxit rationem. Inter omnes enim constat, primis temporibus vxores in manum mariti per matrimonium venisse, ac hinc quasi filias familiae fuisse. Sicut igitur donatio inter patrem et filium seu filiam familiae nullius erat momenti; sed pater potius sibi omnia bona filii vindicabat 28): ita quoque nec donationes inter coniuges valere poterant, propterea quod omnia vxoris bona mariti erant 29), et tali modo maritus sibimet ipsis dominasset, quare nulla lege opus erat speciali. Quamquam vero obmutatum matrimoniorum statum haec cessat ratio, nihilominus tamen non cessauit rationatum, e contrario aliae rationes, legibus nobis conseruatae 30), in locum eius successerunt, ita ut ille mos iure scripto probatus sit, et adhuc donationes inter coniuges in regula non valeant. Attamen haec donationes inualidae ita qualificatae esse debent, ut alter coniugum cum diminutione patrimonii alterius diuitior fiat 31). Nonnullae tamen huiusmodi naturae donationes

27) L. 1. pr. ff. de donat. int. vir. et uxor. „moribus apud nos receputum est, ne inter virum et uxorem donationes valerent.,,

28) L. 1. §. 1. ff. pro donat. l. 17. C. de donat.

29) CICERO in Topic. c. 4. „num mulier viro in manum conuenit, omnia, quae mulieris fuerunt, viri sunt dotis nomine,, et PLAV. TUS Cafina Act. 1. Scen. 3. „hoc viri censeo omne quidquid tuum est.,,

30) L. 1. 2. 3. ff. de donat. int. vir. et uxor.

31) L. 5. §. 16. ff. donat. int. vir. et uxor. ubicunque non diminuit de facultatibus suis, qui donavit, valer: uel etiam si diminuat, locupletior tamen non sit, qui accepit, donatio valet.,,

nationes a regula exceptae sunt 32), reliquae autem ab initio non valent, sed ex post facto quando donator, quem donationis non poenituit, ante donatarium decepit 33). Nunc igitur queritur, num donatio remuneratoria inter coniuges ad illas exceptas vel ad has referenda sit donationes?

Decisio huius quaestionei in genere non formanda est, sed ad distinctionem supra exhibitam ut recurramus oportet. Hinc inde si donatio remuneratoria propria et fundamentum desumptum est ex obligatione donatis naturali ad animum tantum gratum sine dubio ut donatio simplex considerari debet, quare non valet (§. 5.). Par modo etiam in regula quidem nullius est momenti, si orta est ex obligatione imperfecta ad remunerandum, tamen hoc casu nonnquam per indirectum valere potest, et quidem tunc quando donatarius iure ex hac obligatione nacto e. g. exceptione se tuetur (§. 5. cit.). Dubium quidem plerumque contra hoc assertum ex l. 7. §. 2. D. de donat. int. Vir. et Uxor. 34) mouetur. Sed valde peruerse citata lex hic applicatur. Quum enim claris verbis dicit donationem ibi commemoratam fieri *invicem*, sequitur, ut istuc nulla sit fermo de donatione remuneratoria, sed de reciproca, quae toto coelo distant (§. 2.), et licet concederem, eam etiam ad donationem remuneratoriam extendi posse, constaret tamen, illam in donationem remuneratoriam impropiam in specie sic dictam quadrare, ergo hic nequicquam opponi. Quod vero ad hanc adinet; extra dubium est, illam iure optimo valere, fere enim nihil commune cum simplici habet donatione, sed re ipsa solutio in ea latet (§. 6.). Quod autem donationem remuneratoriam tam ordinariam quam

32) E. g. l. 5. §. 12. 13. 14. 17. l. 7. §. 1, et ult. l. 9. §. 2. l. 10. l. 11. pr. et §. 1. l. 31. §. 7. ff. de donat. int. vir. et uxor.

33) L. 32. §. 2. ff. de donat. int. vir. et uxor. „Fas est eum quidem qui donavit poenitere, heredem vero eripere forsitan adversus voluntatem supremam eius qui donaverit durum et avarum est.

34) Verba huius legis sunt. „Si vir et uxor quina invicem sibi donaverint et maritus servaverit, uxor consumserit; rite placuit compensationem fieri donationum.“

Quam extraordinariam respicit, me iudice vtraque pro parte valida pro parte invalida est. Illa enim eatenus valet quatenus donans obligationi antecedenti satisfecit perfectae, quod vero plus dedit, quam quod praestare obligatus fuit, pariter ac donatio simplex habenda, hinc nullius momenti est (§. 7. 8.). Si igitur Caia marito Caio 500 solidos mutuos dat, quos ei paulo post cessione alius nominis 800 solidorum remunerat; valet sine dubio haec remuneratio quoad illos 500 solidos, non vero quoad reliquos 300, quos itaque sine dubio maritus revocare potest. Haec vero scilicet extraordinaria pro parte gratuitam remissionem in se continet, quam ob rem eodem modo quoad hanc remissionem defendi nequit. Donatio denique remuneratoria secundum quid propria etiam quatenus donans obligatione perfecta se liberat, inter coniuges valet, quatenus vero et imperfectae satisfacit idem flatuendum est, quod paullo ante donatione remuneratoria impropria dictum invenis.

§. I3.

De evictione in Donatione remuneratoria.

Inter omnes constat, praestationem evictionis esse indemnificationem ad quam alter ob rem in alterum translatam et per victoriam tertii in iudicio obtentam rursus huic oblatam tenetur. Eodem modo quam quod notissimum est, fundamentum obligationis ad hanc evictionem praestandam vel in natura negotii vel in conventione vel in dolo situm esse. Oritur itaque quaestio, num natura donationis remuneratoriae ita qualificata sit, ut ex ea obligatio ad illam evictionem praestandum deduci possit? Sicuti in tota hacce materia, legibus distincte non loquentibus, Doctores lique celeberrimi in diversas discordant sententias, ita etiam in decidenda hacce quaestione valde inter se discrepant. Affirmant Stryck 35), Struv 36), Westen-

35) In usu moderno Tit. de donat, §. 5.

36) In evolutionibus iuris civilis exerc. 27, ths. 2, quaest. 2.

¶

Westenberg 37): contra ea negant eam Cocceius 38), Maier 39), Rhodowe 40), Wunderlich 41). Sed quum, quod pace tot tantorumque virorum dictum sit, ab iis non accurate species distinctae ac determinatae sunt; spero fore ut eos nostra distinctione conciliaturi simus. Quum enim pro indubitate sumo, ex donatione simplici nullam evictionis praefstandae oriri obligationem; nullus quoque dubito, quin idem de donatione remuneratoria propria defendam: et quidem semper sine exceptione, ita ut evictio etiam praefstanda sit, licet obligatio naturalis ipsa ad remunerandum antecesserit. Ratio in aprico est; si enim tertius rem a donatario evincit, atque hic eam omittit, necessario, si vt sibi evictio praefletur vult, contra donantem agere debet. Ex obligatione vero naturali vlla nec oritus nec mutatur actio ciuilis, cuius contrarium in exceptionibus obuenit, ergo respectu evictionis perinde est, vtrum obligatio naturalis ad animum tantum gratum an ad remunerandum adfuerit. Quod vero obligatio naturalis rationem evictionis in se continet nequit praeterea ex eo liquet, quia mendicus nullam stipi misericordiae affectu datae evictionem a donante exigere potest. Hinc non obstat l. 27. ff. de donat. Licet enim ibi dicitur donationem non esse meram; est quidem non mera sed respectu obligationis imperfetae 42) non vera perfectae. Nec l. 34. ff. 1. cod. contraria est, quippe quae de obligatione antecedente perfecta loquitur, quam ob rem tantum ad donationis remuneratoriae impropriae species recte applicatur.

Ita quoque l. 25. ff. 11. in fin. ff. de hered. petit. opponi nequit. Quamquam enim in hac lege donatio remuneratoria comparatur

37) In princip. iur. Tit. de donat. §. 13.

38) In iure controverso Tit. de donat. qu. 6.

39) In collegio iur. argent. tit. de donat. thes. 6.

40) In Dissert. de eo quod iustum est circa evictionem in donatione praefstanda.

41) In Diff. de evictione in donatione remuneratoria non praefstanda.

42) Leyser Sp. 434. med. 10.

ratur cum permutatione, atque si species huius eslet, omnino euicio praestanda foret; maet tamen semper simile, quod claudicat. Praeterea etiam ratio decisionis in lege citata non sita est in simili, sed in eo, quod bonae fidei possessores diuitiores evaserunt, quae vero ratio huic questioni non conueniens est. Denique etiam *l. i. C. de donat, quae sub mod. sunt. 43)* nostra non insingitur sententia. Nam hic sermo est de donatione modali, quae a donatione remuneratoria differt, quare illius principia ad hanc frusta applicantur. Hinc persuasum habeo, viros ilios doctissimos, qui in donatione remuneratoria euictionem praestandam esse ponunt, donationem remuneratoriam impropria illa regula exceptam esse concessuros. Quum e contrario respectu donationis remuneratoriae et impropriæ stricte sic dictæ et impropriæ extraordinariae causam cum iis facio communem. Hae enim species adsumunt naturam solutionis, quare in iis aeque ac in hac a donante euicio optimo exigitur iure.

In donatione remuneratoria impropria ordinaria autem pro parte praestanda est euicio pro parte non, quia haec species certo respectu ut solutio certo vero ut donatio simplex considerari potest. Quatenus enim donans obligatione perfecta hac donatione se liberat, eatenus etiam ad euictionem praestandam tenetur, sed respectu abundantis ad eam non obligatus est. Hinc illorum virorum quilibet quodammodo veram quodammodo falsam in hac specie defendit opinionem. Restat adhuc donatio remuneratoria secundum quid propria, in qua procul dubio quatenus est propria frusta, quatenus vero est impropria omnino euictionis praefatio a donante desideratur, id quod iterum illorum virorum nullus negabit,

§. 14.

43) Lex ita sonat: „*si doceas nepti tuae ea lege esse donatum a te,
„vt certa tibi alimenta præberet; vindicationem
„etiam in hoc casu utilem co, quod legi illa obtemperare nolle-
„rit, impetrare potes.*“

§. 14.

C o n c l u s i o .

P 592

Quum haec nec plura dicenda sunt ; concludo.

Quod denique attinet ad praelectiones meas aestivas,

I.) iam finita in peracto semestri brumali per quatuor hebdomadis horas historia iuris romani et canonici ; reliquorum iurium historiam tribus quavis hebdomade hora 8—9. matutina diebus Lunae , Martis , et Mercurii eodem Duce de Selchowio continuabo.

II.) Institutiones iuris civilis secundum elementa Heinecii nouissime ab Höpfnero edita per octo hebdomadis horas sex nemirum hora 10—11. et duas hora 8—9. diebus Iouis et Veneris explicabo. Initium capient praelectiones die XXVI. Aprilis.



ULB Halle
004 517 601

3



f

TA → OL

nur 1+8 verknüpft

B.I.G.



14.

A2


COMMENTATIO IVRIDICA

Q V A

DONATIONEM

REM VNERATORIAM

I N Q V I R I T



N E C N O N

LECTIONES ACADEMICAS

PER INSTANS SEMESTRE HABENDAS

I N D I C I T

IOHANNES GOTTFRIED
CRVMBIEGEL

IVRIVM DOCTOR.



ROSTOCHII

MENSE APRILI MDCCLXXXIV.

LITTERIS ADLERIANIS.

